



# Disputatio inauguralis medica de melancholia

<https://hdl.handle.net/1874/341864>

DISPUTATIO INAUGURALIS  
M E D I C A,  
D E

# MELANCHOLIA,

Q U A M

FAVENTE DEO TER. OPT. MAX.

*Ex auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. HERMANNI WITSII,

S. S. Theol. Doctoris, ejusdemque in Inclyta Academia Ultrajectina  
Professoris Ordinarii, & Ecclesiæ ibidem Pastoris facundissimi,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, & Nobilissima  
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA honoribus & Privilegiis  
ritè, ac legitimè consequendis,

*Eruditorum examini subjicit*

THOMAS LUDOLPHI RAESVELT, Groninganus,

*Ad diem 15. Februarii, horâ locoque solitis.*



TRAJECTI AD RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clō lōc LXXXVII.

*Reverendis, Consultissimis, Amplissimisque Dominis,*

D. JOHANNI TILIKINGH,  
Pastori in Sleen, in agro Drentano,

D. ALEXANDRO TILIKINGH,  
Pastori in Borger, in eodem agro Drentano,

*Fratribus affnibus maximè colendis;*

U T E T

D. JOHANNI de SELBACH,  
V. D. Ministro in Urbe Groninganâ,

D. CASPARO de SELBACH,  
J. U. D. Territorii Drentani Deputato,

D. GERARDO de SELBACH,  
J. U. D. Judici, & supremo Scribæ in eodem Territorio, Cognatis meis plurimum honorandis,

*Hanc Disputationem Inauguralem submisso  
animo consecrat,*

THOMAS LUDOLPHI RAESVELT,  
*Auct. & Resp.*



DISPUTATIO INAUGURALIS  
M E D I C A,  
D E  
MELANCHOLIA.

T H E S I S. I.



Ti hodierno die à Socio Candidato Morbus in sensu tactus externo maximus, *Dolor* nempe, examini subjectus est, ita à nobis, in sensu interno non inferior, *Melancholia* tractabitur. Nomen habet ab ore Grajorum rotundo: Causa nominis Veteris Medicinæ præjudicium est, quasi Morbus hic solâ bileatrâ constaret. Definitur rectè: *Delirium triste, ob cogitationem in unam rem falsam, citra furorem ac febrim, defixam.* Hujus *species, earumque causas, & potiora remedia* brevi delineabimus.

I I.

Distinguitur *Melancholia*, quæ ex animi affectibus venit, à *Verâ*, quæ imaginationis & Judicii perversio est, & *Hypocondriacâ*, cujus origo ex eo loco, unde nomen suscepit. *Ecstasim, ac Soporem Dæmoniacum*, ut alia symptomata taceamus, eodem

jure sub hac nostrâ classe recensēbimus. Ex *Passionibus* Melancholia vehementioribus fit; in luctu scilicet, ob res deperditas, quas animus solebat deperire, pecuniam, existimationem, Parentes, Consanguineos; In *Pœnitentiâ*, postquam mens suum errorem ac neglectam potentiam animadvertit, ob factum honori adversum, præsertim, si publicè de eo constet, ita ut vulgi irrisio, vel à judice infamia metuatur: In *Invidiâ*, ob alienas res opimas, quibus nos ipsos dignos, & alios indignos censemus; In *Philantiâ*, ambitione nimia honorum, scientiarum, nummorum; ad quam non malè referimus delirium Alchymistarum, in suo lapide Philosophicò, & universali panacèa, irritò labore quærendâ, nec non *Anxietates* tristissimas ob delictum grave, ac continuum supplicii metum, & quæ plura sunt hujus farinae.

## III.

*Melancholia Vera*, quæ extra affectuum causas, mentem continuis cogitationibus, de rebus paucioribus, necessariis aliis fermè omnibus susque deque habitis, & per Ideas rebus ipsis multò majores, occupare solet, non alio modo, ac visus per vitrum concavum, radiosque dispersos, ex pulice Elephantem Indicum concipit. Ægri hoc Morbo correpti, plerumque tristes sunt ac timidi, dum tamen nullam rationem harum passionum queant assignare, nisi fortè falsam, quam opinio & Imaginatio perverfa supeditat. Quidam se in æternum à Numine dmnatos, & Gehennæ devotos, desperabundè autumant: Alii, quasi invitos se ad Autophoniam, vel Parricidia, vel adversus Divinam Majestatem blasphemias, & similia scelera, rapi queruntur, dum preces fundant continuas, ut à malo liberentur, cum multis lacrymis, totius corporis tremore & horrore, suspiriis altè ductis: Sunt, qui mortem sibi imminere persuadent, vel eam se millies meritos, ubi favore sui Principis exciderint: Multi, qui desides, taciturni, solitarii, consortium humanum fugiunt, sylvas, tenebras, antra, sepulcra petentes.

IV. Non

I V.

Non defunt hujus centuriæ, qui nugas & ridicula agunt; Se in lupos, canes, feles, aut alia quædam animalia mutatos: sibi caput amputatum; nasum longissimum, quem velut altè tollunt, ne fortè, magno suo malo, in terram impingat: Fronti cornua innata; Setestas factas, certò per obviorum contactum collidendas ac comminuendas; Serpentes, ranasque in capite, vel ventriculo vitam agere; In uno digito non orbem temperari, sed confidere, quem proindè non audent flectere, ne ruat mundi Machina; Se ex butyro factos, atque adedò nolle ad ignem accedere, ne liquecant, ac incalescant plus satis; Totam urbem igne perituram, quam, redditâ urinâ, necesse est extinguere: Nates ipsas vitreas sibi, quapropter à sedendo eas temperant, ne frangantur. Miserrimi, tabem longam passi, omni spe abjectâ, suspendio, præcipiti in flumen saltu, vitam finiunt. Habes è contra, qui gaudent supra modum, ac de divitiis, regnis, colloquiis cum Deo & Angelis habitis, gloriantur. Quibus accensendi laborantes *Ecstasi*, quando somno sepulti multa cogitant, corporeos motus transcendentia, quasi in cælo fuissent, in consilio vel convivio Deorum; ut & *Sopore Dæmoniaco* obruti, quo se per caminum volasse, per aère latos, epulatos, choreas duxisse, cum dæmonibus rem habuisse, ubi evigilaverint, firmiter credunt.

V.

*Melancholia Hypochondriaca* à *Verâ* in eo differt, quod symptomata sæpius, eodemque sæpè die, quo irruerint, mitescant, ita ut de nullâ re querantur ægri, quam capitis dolore gravativo. Hâc correpti rarò lectis decumbunt, questi tantum de hypochondrio sinistro, ejusque æstu, pulsatione, murmure; ut & de ructibus, vomitu, sputo crebro, capitis dolore & vertigine, aurium tinnitu, temporum reciproco motu, febri, aliisque accidentibus, quibus vel verè laborant, vel saltem se la-

## 6 DISPUTATIO INAUGURALIS

borare putant : Hinc est , quod curam avidi tentent , at , ubi levamen mox non sentiunt , Medicamina & Medicum mutant.

## V I.

Jam *causas* cognoscere operæ pretium est. Saltem illa , quæ ex passionibus , levior Melancholiæ gradus est , & frequens *Vera* principium: Quis dubitat , per animi affectus poros in cerebro multos aperiri , fibras malè affici , spiritus & sanguinem infici , fortes impressiones , & eas subsequenter vestigia confici? Quum hi ægri delirent , sanè cerebrum , spiritusque laborant ; quum simul timent & contristentur , cor & sanguis non parum patiuntur. *Vera* producitur à forti rerum imaginatione , quam creant spiritus , ex ampliatis & alicubi præter solitum apertis poris , progressi : Glandula Pinealis , vel quicquid pro sensorio communi statuitur , hoc forti impulsu , ita manet defixa , ut se aliò inclinare , vel circumstantias necessarias percipere non valeat ; Quapropter animus aberrat , & absurda concludit. In hoc negotio sanguis , crassus in suâ fermentatione , crassos & inæquales spiritus promit , qui variè , & non ex æquo agitati , multas rerum veras circumstantias menti denegant , & falsas ex adverso substituunt. Varietas nugarum à fortuito casu dependet , ac plerumque in illis tales poros invenias apertos , quales cogitatio , ac affectus continuus consuevit menti offerre.

## V I I.

*Ecstasis* ac sopor *Dæmoniacus* , ortum ducunt à validâ spirituum radiatione , ex aliquo cerebri poro , inter somniandum , factâ , quæ in vigiliis adhuc manet ; unde miseri hi ægri putant , se non somniâsse ; vix distinguentes inter rem , & apparentiam , internas causas , quæ spiritus movent , & externas , quæ simili modo ab objectis extra nos positis proveniunt. *Hypochondriaca Melancholia* agit solummodò per intervalla ; Quod signum est , sanguinem non ita , ut in *verâ* , vitiatum , ac insuper in Hypochondrio pituitæ

tuitæ copiam hæere, & in variis latibulis fermenta, quæ ubi maturuerint, erumpunt, massam sanguineam & spiritus inficiunt, atque ita validas satis impressiones, dum vim exerunt suam, generant.

## V I I I.

Si cum Willisio spiritus animales in hoc affectu ácidos supponamus, quam brevissimè hujus morbi causa dari posset: Ut enim acidum in continuo motu est, ita in hoc nulla cogitationum quies: Ut vapores ex eo elevati non multum evagantur: ita, hi spiritus in unum quid facilè defixi censentur: ut acidi humores non solum poros implent, sed & alios ac novos suâ acedine formant; ita non mirum, hosce spiritus novas ideas de rebus componere, quæ veris mixtæ mirandas imagines menti exhibere natæ sunt: Sic Timor & Mæstitia à sanguine, tardius cursum suum absolvente, & circa præcordia alicubi stagnante, propter particulas suas aceto quasi similes, undè ægri vix semovent & parum respirant, ortum suum, non absque verisimili ratione, deducunt.

## I X.

Sed properemus ad *Remedia*, quæ sanguinem cum spiritibus, volatilem faciant, ut radii validè & vividè cerebrum, ab omni parte, illustrent, in quibus tota, ut patet, cura. Confortium, confabulatio jucunda, iter, amœna studia, in cerebro notis antiquis novas substituent. Omni arte laborandum, ut æger à malâ persuasionem liberetur, & sæpè astu. Cura Medica consistit in correctione sanguinis, quæ iteratâ venesectione in pede, & majoribus venis, cum magno vulnere, pro viribus instituitur. Tum incidentibus utendum; *Apozemate* ex lignis, ut & *salibus*, ordine convenienti. Laudatur maximè *Sp. salis*, *Tart. Vitriolatum*, *Crocus* & *Vitriolum Martis*, *Limatura Chalybis*. Cave tamen à nimium spirituosis, ut & *Opio*, quum securius, ad somnum conciliandum, *Camphoram* sumas. Inter purgantia commendatur



tur *Lap. Lazuli, Helleborus niger, ejusque extractum: ut & Pulvis Cornacbinus.* qui hoc modo fit:

℞ *Antimonii Diaphor. gr. xv.*

*Diagridii Sulphurat. gr. viii.*

*Cremonis Tartar. gr. vi.*

*Misce F. Pulv.*

## X.

Chymici vomitoria magni ducunt, quum non solum è ventriculo saburram, sed & è sanguine omnis generis particulas educunt, & è tubulis fermenta stagnantia; quæ proindè, sed prudenter, usurpanda. Sapientes monent eodem modo Melancholicum tractandum esse, ac scorbuticum, quartanarium, hypochondriacum. Omni ope nitendum, ut alvus sit semper lubrica. Cura Prophylatica peragatur vere, & autumnò. Quicquid sit, quum ægri nostri plus mingant, & raro sudent, cur viam non tentabimus per renes, diureticis usi? Cibus sit, caro recens, ova forbilia, panis probè fermentatus, ut & ejus generis cerevisia.

